

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Magni

Oratio. De Ardua Via Perveniendi Ad Eruditionem

Rostochii: Reusnerus, 1604

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729072746>

Druck Freier  Zugang



F. Magni.
R. U. phil. 1604.

Phyl

25

Oratio.
DE
ARDVA
VIA PERVENI-
ENDI AD ERV-
DITIONEM.

STYLI ET EXERCITII GRA-
tia Rostochij conscripta.

à
IACOBO MAGNI VVESTIO
Vvesmanno.

ROSTOCHII
Typis Christophori Reusneriani,
ANNO M D CIV.



Nobilissimo
CLARISSIMOq; VIRTUTE AC
eruditione Viro, Domino
IOHANNI SCHRODERO SKYT-
TE, Serenissimorum Principum Präce-
ptori fidelissimo:

Nec non
Consultissimo ac prudentissimo Viro
LAVRENTIO KRVSE,
Civi Nycopenſi.

Fautoribus ac Mecanatibus suis summa obser-
vantia colendis, Salutem.



DE Tito Vespasiano memoria
proditum est apud Tranquillum,
eum si quando inter cænandum
recordaretur, nemini se eo die
quicquam beneficij pro præsti-
tis sibi benemeritis contulisse,
in memorabilem hanc erupisse vocem: *Amici
diem perdidimus.* Quibus verbis innuere voluit,
adeo necessariam esse pro acceptis beneficijs ani-
mi gratitudinem, ut diem eam à se perdidit
existimaret, quâ non parem benemereati-
bus gratiam retulisset. Ita & mihi, honorandi
Mecænates, meo quasi jure cum Vespasiano ex-
clamare liceat, quando vestra in me beneficia i-
dentidem gratâ, ut par est, memoria repeto.
Me etenim non diē, sed dies perdidisse haud igno-
ro, qui tantis vestris ornatus meritis, adhuc nul-
lum edidi gratæ mentis specimen. Qua namq;
ex parte, quibusq; muneribus tantam beneficen-
tiā potero remunerare? Nam ut multa eaq;
magna beneficia à vobis in me profecta silentio
involvam, animum certe vestrum erga me pa-
ternū reticere nec possum, nec debedo. Testis
est præsens hic annus, quo me omnium ferme o-
pe destitutum ita benignitate vestra sublevasti,
ut vestro quasi beneficio ad hæc castra Musarum

A 2

mihi

mihi proficisci contigerit. Longum foret alia plurima benevolentiae signa recensere, quibus me abunde cumulatum nusquam diffitebor. Quæ omnia nisi quotidie apud omnes cum magna gratitudinis contestatione prædicarem, longe essem ingratissimus, mihiq; jure competeret illud Plauti in Persa:

Improbus homo est

Qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.

Vt ergo ~~μνημόσυνον~~ aliquod, & gratitudinis erga vos meæ exstaret argumentum; En vobis, Fautores observantiæ & obsequio colendissimi, hanc de ardua eruditionis via Orationē, quam vobis officiosè dico consecroq;. Ob quod vos obnixe rogatos volo, ut levidense hoc & Calabri hospitis munsculum eo suscipiatis animo, quo videlicet Rex Persarum Artaxerxes in opis Coloni aquam cava manu sibi oblatam suscepisse apud Plutarchum legitur. De cætero perpetuam vobis felicitatem ex totis animi penetralibus exopto. Rostochij ex meo Musæo, in ipso Divi Martini festo, Anno clo. Ic. IIII

JACOBVS MAGNI VVestius.

DE



Oratio, DE ARDVA VIA ERVDITIONIS.

Multis retro annorum decursibus plurimorum cum contentione exploratum est, difficillimo sane curriculo ad solide eruditionis terminum pertingere mortales. Nam sive ingeniorum acutem & acrimoniam studijs liberalibus omni aeo immensam contemperemus, sive nocturnas diurnasq; lucubrations cogitatione evolvamus; ex eorum quolibet, tanquam ex ungue Leonem, facile dijudicabimus, nequamquam levi brachio & velut è trivio, sed summa animorum industria & labore penè Herculeo eruditionem comparari. Quod cum olim wates ille priscus sapienti estimatione apud mentem suam perpendisset, cum omnium recte sentientium calculo verè non minus quam prudenter enunciare non dubitavit:

Non datur ad Musas currere lata via.

Enimverò quacunq; sublimioris disciplina rationem concer-
nunt & attingunt, ea omnia ejusmodi in loco sunt constituta, ut
tanquam è sacratis Divum adytis petita extracta ag; videantur.
Argumento nobis sunt plurimi iudicio accerrimi, celeritate
mentis agillimi, studio & labore indefessi, qui tamen non nisi
post ingentes exanatos labores ad intima sapientiae penetralia
evaserunt. Nec verò id diffitentur viri prudentia & politiori
disciplinā imbuti, ut pote qui vel assiduo experientia comperi-
ment

A 3

mento probè edocti, vel sagacissimo mentis discursu, rem aliter
se non habere dijudicant. Verum nonnullos Philonidis de grege
et reperire, qui nescio quo stuporis astro concitati, in literarum
scientijs indipiscendis, nihil studij, nihil nervorum, nihil de-
mum animi desiderari, insipienter ac stolidè pronunciant.
Quorum hominum opinio quoniam multis à vero parasangis de-
flexit, omnem movebo lapidem, ut eam tenui hoc Orationis mea
filo ex animis illorum evellam, ostendamq; alia in re nullà præ-
terquam literaria, plus opera, laboris industriae collocari: ac pro-
inde apud mortales nihil aequè videri difficile, quam secretiores
musarum recessus pervadere, ad solidamq; bonarum literarum
cognitionem pervenire.

Multas omnino, easq; non exiguae numero esse causas,
quibus hauriendarum disciplinarum via quasi spinis quibusdam
præpeditur, nemo vel mediocri præditus intelligentia, ignorat.
Si namq; literarum quasi infinita, ac primarudimenta ratione
animog; lustraverimus, sane comperiemus eorum perceptione
singularem quandam discentium animis amaritudinem inge-
nerari. Etenim ad nihil aequè cum quadam resistentia invita
perducuntur teneriores illementes, quam ad prima scientiarum
fundamenta extremis libris delibanda. Postquam autem vel
blandis parentum admonitionibus, vel certè verborum minis
adduci se patiuntur ad primos hosce Musarum fontes haurien-
dos, tum major sese aperit difficultas, & tanquam facto agmi-
ne, tedium ingenerans discendi, erumpit. Huic calamitati
veluti cumulum addit acerba præceptorum objurgationes, equa-
lium derisus, verbera, maximè vero, quod tanquam pistriño in-
clusi, multis temporum intervallis in hoc squallore cogantur
herere. Quo sane efficitur, ut multi qui vix dum hunc pul-
verem extremis, ut ajunt, digitis attigere, ab honestissimo di-
scendi studio ad torporem prius delabantur, quam jacundissimos

ex eo

ex eo fructus degustent. Si qui autem ex hisce scopolis salvâ poppe integrisq; velis evaserunt, ijs ad asperoram lingua peregrina cognitionem vastior emergit campus. In quo quidem decurrendo, praeceptorum multitudine, ardua insuetag; discendi ratione veluti compedibus quibusdâ irretiti discenitum animi, amarissimo doloris absynthio perfunduntur. Quid enim per Deum hominumq; fidem calamitosus, quam ita discere, ut nullam capias jucunditatem? ita multitudine obrat, ut nullum propicias terminum? ita demum cruciari, ut tanquam è dulcissima libertate, ad iniquissimam depulsus servitutem videaris? Sane qui hisce implicitus molestijs nullam persentiscit mentis agititudinem ac dolorem, ita omnem humanitatis sensum exuisse, & non ex hominum stirpe, sed beluarum esse progenitus omnino existimandus est. Et quidem tanta vita acerbitas foret moderato affectu toleranda, si exigui temporis spaciū sibi depositeret: at non unius mensis terminatur curriculo, nec unius anni defluxu sortitur exitum, sed ad multa annorum spatia cum incredibili quadam animorum defatigatione se se porrigit & extendit. Sapienter ideo Grecæ facundia parens longè disertissimus Isocrates dicere est solitus; Scientia radices amaras esse, fructus vero dulces.

Iam vero si misis bonarum artium elementis, ad intimam rerum cognitionem, Orationis mea cursum defletam, ingens se mihi exhibebit molestiarum cumulus, nulli Eloquentia vi aut dicendi copia explicandus. At q; ut differendi facultatis involucra, ac Meandros dictione non attingam, divinisima Philosophia longè lateq; diffusa cognitio, quantas curas & conatus etiam ingenio acerrimo procreat excitatq;? Et quidem se physiologia gremio depresso rerum causas velimus eruere, non exigua in primis ignorantie caligo menti effusa, intelligentiam & acrimoniam inhibet, ac remoratur. Etenim priusquam

rerum

verum naturâ constantium principia mediocriter percalles,
ortum cuiusvis & interitum probè ratione pervadas: qualiter
terræ vis scrib. absorpta, occulto astrorum influxu incrementum
capiant; qua tempesatum fulminumq; natura & origo: qua
ratione Orbis celestes constanti in gyrum latione acti, temporum
aliarumq; rerum infra Lunæ circulum constitutarum viciſſitu-
dinem cursu anniversario recurrentem inducunt: ac demum
qua animantium, stuprum, ceterorumq; omnium, que hujus
universi ambitu continentur, vis ingeta: Prius inquam, quam
horum omnium notitiam animo imbibas, ingentes te exsorbiſſe
vigilias, impendisse ſudores, devorasse afflictiones necesse eſt.
In quorum omnium perceptione, nihil aquæ videtur difficile,
quam à consideratione oculorum mentis aciem abducendo ita in-
genij acumine longè divagari, ut terminum contemplatio non
habitura videatur.

Prorepat nunc etiam ex repreculis nite dula quæpiam, &
prætantissimâ juris & equi scientiam Theonino dente arrodat,
dicat q; facultatis hujus notitiam nullas excubias, nullam indu-
ſriam, nullos mentis impetus desiderare. At verò obscuras
legum ambages resolvere, & enigmatum integumenta enodare,
anticipites judiciorum motus pernoscere, cuius tandem eſſe judi-
cabimus nisi illius, qui in eo studij genere omnes animi nervos,
omnesq; ingenij vires ſedulo collocauit? Cumulat hujus rei
magnitudinem immensus quidam voluminum acerbus, inſi-
nitæ penè legum multitudine, obscuritas velut ex perplexis Del-
phici Oraculi responsis petita. Dicat ergo quispam legum de-
creta ita omnibus in promtu & obvia, ut continuò in animos
influant: ita facilia, ut à quovis ſine maximo conatu percipian-
tur: ita demum levia, ut quasi è trivio videantur petita.
Dicat ſanè, at non impunitam feret iſtam contradicendi pro-
terviam, qui vefertilionis in morem in ipſa meridiana luce
caciens,

cecutiens, de rebus clarissimis offuscata ingenij acie vehementer hallucinatur. Huic enim muri instar sese opponunt accusissimi legum interpretes ex prisco illo mortalium & vno Vlpianus, Scevola, Papinianus, alij qz permulti, quorum contestatio nihil aliud profitebitur, quam divinissimam Iuris facultatem summam nervorum contentione mentibus ingenerari.

Quid vero commemorem Medicæ facultatis illustrem scientiam; quam si quis absqz insigniore conatu ac studio addiscere contenderit, hujus temeritatem non modo ejus peritissimi Hippocrates, Avicenna, Galenus, tanquam è putido cerebro profectam retundent: verum etiam plurimi alij temporum intervallo ab illis longè distantes. Qui omnes unius vocis oris qz asseveratione constanter propugnabunt, immensi labores & industria videri, ac rem pene divinam, omnium morborum symptomatum qz fontes aperire, progressus & incrementa dignoscere, ac tandem salubri remedio non secus ac sanitatis quidam Aesculapius, subvenire.

Nihil hic dico de omnium difficillima Eloquentia perceptione, ad quam cum laude & quadam dignitate obeundam tanto magis arduum existimatur, quod ad eam reliqua artes ac scientiae tanquam ad vastum aliquod pelagus recurrent.

Videant igitur bonarum literarum Aristarchi, quanta in obscuritate & recondita quadam ratione artium liberalium studia sint collocata: quā alto in gradu ac sublimi constituta throno, ita quidem, ut summas propter difficultates, labores, vigilias, caput inter nubila condant. Verum insurgent illi, & contestatione facta proclaimabunt, multos ea præditos ingenij felicitate, ut sapè ipsis ad summam eruditionem leví brachio, exiguae contentione peruenire liceat. Sanè quidem ita esse non nunquam fateamur: attamen cum Poëta etiam hac in re vere profamur: Pauci quos equus amavit Iuppiter. Et certe sta-

B

ad Ma-

ad Musas pervenienti severiores via , Salmacia quadam spolia
sine sanguine ac sudore videtur præ se ferre. Demus igitur
lubentes, in quibusdæ obt temperamenti bonitatem relucere sin-
gularem quandam ingenij acriminiam : huic tamen velut ob-
ex quidam ac pessulus sese contrariam opponit juvenilis ani-
mi imbecillitas , qua tanquam astu quodam mentes ad varia
distrahit ac detorquet. Cum enim propter rationis infirmita-
tem ipsi certò apud animum suum statuere non valeant, cui præ-
sertim vivendi generi sese dedere ac consecrare sit optimum,
sit ut propter anticipitem hanc cogitationum, nulli certe facultati
se immergere totos possint. Ex quo sane efficitur, mentem illo-
rum velut Euripum quendam in gyrum actum , se penitus litera-
rū commercijs tradere non sustinere. Illud verò, quam magnam
literis generat asperitatem, quod juvenum animi ad locum ma-
gis & vita jucunditatem propendeant, quam ad Musas perti-
nui quadam industria exosculandas. Scite enim Lyricus :
Imberbis juvenis tandem custode remoto
Gaudet equis , canibusq; & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper;
Vtilium tardus provisor. —

Sed nec exigua est discentium pernicies , quod cum ejus-
modi nonnunquam inire societatem habeant necesse Musarum
alumni ; qui nugis & confabulationibus optimas horas extra-
hunc, ijsq; studiorum cursum non mediocriter retradunt. Si-
lentium autem Musis apprimè amicum, præclaro olim documen-
to comprobavit Pythagoras , qui neminem intra discipline sue
septa recipiendum arbitrabatur, qui non eidem biennij spopon-
disset taciturnitatem. Quanto magis illi non secus ac freno
quodam inhibentur, qui in tales incidentur Commilitones, quo-
rum animus omni vitiorum colluvie imbutus , pestem ac perni-
ciem aliarum diligentia moliuntur.. Nam etiam ut cecinit Va-
tes ;

Fera

25

Fera diluvies quietos irritat omnes.

Silentio involvo humanarum virium infirmitatem, hebetudinē memoriae, rationis tarditatem, pigritiam voluntatis. Experimur enim indies, mentis nostrae aciem ita caligine quadam prægravari, & in disciplinis capescendis noctua in morem cœcutire videamur. Quam ingenij tarditatem cum acumini suo multūm prejudicare persenticeret Carneades, in arenam cum Chrysippo Stoicorum somniorum vaserrimo interprete proditurus, hellebori sumptione cerebrum repurgatum, ad subtiliores celerioresq; animi motus edendos concitatavit. Longum hic foret recensere reliqua impedimenta, quæ ad castra Musarum interturbanda, tanquam factio agmine, irrumpunt. Nam virtutis & disciplinarum amanti non semper patrio limiti insistendum, sed plerung; Vlyssis ad exemplum terræ alio calentes sole mutande, ut ait Flaccus. Id autem sibi vendicare arduam disciplinarum perceptionem luculentissimo arguento demonstravit Princeps ille ingenij ac doctrina Plato. Cujus peregrinationis egregium documentum literis complexus Valerius Maximus, ita de illo magnifica laudis predicationem instituit. Plato autem patriam Athenas, Præceptorem Socratem sortitus & locum & hominem doctrinæ fertilissimum, ingenij quoq; divina instructus abundantia: cum omnium jam mortalium sapientissimus haberetur, eo quidem usq;, ut si ipse Iuppiter cœlo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore facundia usurus videretur: Aegyptum peragravit, dum à sacerdotibus ejus gentis Geometriae multiplices numeros, atq; cœlestium observationum rationem percepit.

O divinae sapientie virum, qui quam solerti rationis intuitu virtuti ac eruditioni destinatam viam pervidit, indefesso labore percurrendam ratus es. Quid verò præstanti sapientia & nobilitate Pythagoras, nonne & ipse evidenti comprobatione

batione ostendit manifeste, prater alia multa, etiam longinquam peregrinationem quandoq; convenire literarum studioſo? Is ergo Aegyptum in primis, longissime à Gracia diſſidentem petiit; ubi literis ejus gentis imbutus, prateriti & vi sacerdotum commentarios scrutatus, innumerabilium seculorum observa- tiones imbibit. Inde postquam in Persidem appulisset, syderum cursus, omnemq; cœlestium orbium vim, proprietatem & effectum docili memoria feliciter haurit. Sed nec yis in locis ejus defatigata est discendi cupiditas, verum ad Cretas & Lacedemonios eorum instituti & discipline percipienda gratia commigravit. Plura exempla huic meo instituto perapposita haud difficile esset recensere, niſi res omnium oculis ſubiecta, nullam amplius posceret exemplorum veritatem. Illud unicūm verè omnino videbor dicturus, neminem preclaræ cujus- piam eruditionis ſpecimen pre ſe unquam tulisse, qui non idem. Ulyſſao more multorum hominum mores conſpexerit & urbes. Conticescant igitur Musarum Critici & obtrectatores, aut certè fateantur, etiam inviti, nullum eſſe moleſtiarum genus, quod non in eruditionis culturam inſigni quadam acerbitate re- dundat.

Venio nunc ad ſæviſſimos bonarum artium oſores, qui plus quam Thyestæa quadam execratione quaſilibet disciplinas ea- rumq; cultores detestantur. Quod maleſici genus quantam vim & efficaciam habeat adſtudentium animos infringendos, vel ex eo evadit maniſtum, quod plurimi hujus odij metuen- tes aculeos, facillimè ex hac ſtatione depellantur. Huic nefario conatu olim quaſi facem prætulit Licinius Imperator, qui omnes literatos ipsasq; Musas plus quam Vatiniano in- ſectatus odio, eas peſtem ac perniciem Reipublicæ vocitare imprudenter ſuſtinuit. Sed nec deſunt noſtra tempeſtate, quo- rum tota viriñ facultas in eo potiſſimum deſudat, ne quicquam inju-

25

injuriarum, scientiarū alumnis non inferatur. Quia injuria multi saepe perculsi, honestissimi propositi metas non attingunt: plures verò in medio cursu injuriarum acerbitate retenti, cum nausea quadam sapientie adyta rimantur. Pridē enim quasi turbine quodā ablata evanuit aurea illa studiorū atas, quando non minis & divexationū furijs agitabantur eruditioni operam navantes, sed præmijs ingentibus propositis ad sedulam studiorum curam, quasi quibusdam stimulis excitabantur. Quod si cui dubium videtur, prodeat in medium Latinæ elegantiae fœcundissimus parens Tullius, fateaturq; proprij oris attestatione, sibi ob singularem dicendi copiam & ornatum, consularis in urbe dignitatem honorificentissimè decretam. Prodeat etiam Græca facundiæ primus quasi propagator Iſocrates; cuius insigne eloquium & dicendi flumen, ipsi statuam in Olympia celeberrimo orbis oceo, procuravit. Hac autem nostra tempestas fructu emolumentoq; studiorum sterilescens, arduam sanè ac perdifficilem reddit doctrinae viam. Si enim verum est, sicut est verissimum, quod ait Tullius, Honorem artes alere, qui fieri potest, ut quipiam eo detracto, aliquid laude dignum meditari, nedum moliri posse?

Quod si jam ad duriſima paupertatis tela, quibus plurimi campum huc literarium decurrentes misere urgentur, Orationem convertamus, luce meridiana clarius evadet, nihil ad literarum consortium frequentius interturbanandum incurvare quam egestas. Hoc enim eruentis exarmata spiculis, tanto vehementius discentes ab instituto cursu deflectit, quanto majore violentiā incurrens, quasi telum quoddam retortum animi penetralibus infigit. Preclare ut omnia Horatius: Magnum pauperies opprobrium jubet quodlibet, & facere & pati, Virtutisq; viam deserit ardue. Atq; utinam nihil haberet infelix paupertas durius in se, quam quod ridiculos homines a-

B 3

ciat,

ciat, ut ait Iuvenalis: Projectò amor & cupiditas discendi,
omnem hunc exsorberet derisum. Aliud quiddam est pauper-
tatis insigne, non quo hominibus risum movet ac concitat: sed
qua tanquam spiculo quadam vibrato, omnem discendi cupidita-
tem ex animo penitus excutit, depellit, amolitur. Vnde non in-
scitè Vates Satyricus:

Nec enim cantare sub antro
Pierio, thyrsimvē potest contingere sana
Paupertas, atq; æris inops, qua nocte dieq;
Corpus eget: satur est cum dicit Horatius ohe.
Magnæ mentis opus, nec de lodiice paranda
Sollicitæ: currus & equos faciesq; Dcorum
Aspicere, & qualis Rutulū confundat Erynnis.
Nam si Virgilio puer & tolerabile desit
Hospitium, caderent omnes à crinibus Hydri.


Quid est igitur quod magis Musis inimicum, quā paupertas?
O durissimum telū egestas, quam iniquo dominatu cursum pul-
cherrimum inhibes, ac retentas! quam ictu violento Musarum
castra invadis expugnas & emoliris! Te una obicem ponente,
sepe clarissimi conatus interciderunt: multiq; à virtutis tra-
mite, ad iniquissimam delapsi fortunam, te procurante in ob-
scuro delitescunt.

Sed dum hanc Erynnem studiorum anxiō mentis discursu
pervolvo, aliud monstrum co deterius, quanto blandiore vultu
fallacius, Orationi meæ fessè ingerit: Voluptates dico blandissi-
mas illas dominas, pestiferum ingenij malum. Hæ namq; ut
præcelsam mentis arcem blanditijs occuparunt, præcipites inde
Musas vesana quadam dementia ejiciunt ac præcipitant. Ar-
duus sane labor, & haud scio an etiam Herculeo major, Syrenes
hasce tam suavim voce modulantes surda aure præterire, nec
ed cas cum Ulyssis comitibus, tanquam ad saxum adhaerescere.

Vt igit

Ut igitur aliquando ex hisce salebris ac portentis Oratio
mea emergat, ac tandem portum respiciat, ad eos mea se con-
vertet dietio, quos hactenus in toto illius decursu significavi.
Illi animo ac cogitatione complectantur sedulog̃ perpendane
prima eruditionis cunabula ac fundamenta, quanta cum mole-
stia, dolore, & mentis agritudine hauriantur. Proxime cogi-
tationis gradum moveant ad peregrinæ linguae cognitionem,
plurimorum praeceptorum multitudinem, temporis diurnita-
tem, quod in ea addiscenda impendendum: & experientur
quam arduo ac difficiili tramite ad eam perveniat. Quid ve-
rò altissimarum rerū cognitio, ingenij humani imbecillitas, fu-
turi status incertitudo, juvenilis animi inconstantia & insi-
mitas, nonne sufficientia videntur ad summam difficultatem
discentibus pariendam? Quibus si accedant longissimarum
peregrinationum pericula ac difficultas, odia ac mina à litera-
rum osribus intentata, nocturna diurnaq̃ lucubrations,
& quod caput est, onus & miserum & grave paupertas, non-
ne studiorum viam difficilem constituant & pene pertimescen-
dam? Ut vero deliciarum blandimentis non capiaris, Vene-
rem respuas, Bauchi dulcedinem non appetas, reliquaq̃ omnia
evincas ac superes, que Mysis interitum ac perniciem moliun-
tur, quid aliud tibi faciendum, quam in summa vigilantia ac
conatu indefesso esse constitutum? Maneat ergo asperrima
difficillimaq̃ via ad eruditionis domicilium ascendi, nec eo desi-
des & quoscung̃ Epicuri de grege porcos unquam ven-
turus, quamquidem ut rectè Horatius: Nil
sine magno vita labore dedit
mortalibus.

D I X I.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn729072746/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729072746/phys_0020)

DFG

cecutiens, de rebus clarissimis offuscata ingener ter hallucinatur. Huic enim muri instar ses tissimi legum interpretes ex prisco illo mortalium Scervola, Papinianus, alijqz permulti, quorum aliud profitebitur, quam diuinissimam Iuris f mā nervorum contentionē mentibus ingenerari.

Quid verò commemorem Medicæ facultatiā; quam si quis absqz insigniore conatu ac contendere, hujus temeritatem non modo ejus pocrates, Avicenna, Galenus, tanquam è putia etiam retundent: verum etiam plurimi alij i vallo ab illis longè distantes. Qui omnes usus asseveratione constanter propugnabunt, immensu industria r̄ideri, ac rem pene diuinam, omnium piomatūqz fontes aperire, progressus & increare, ac tandem salubri remedio non secus ac Aesculapius, subvenire.

Nihil hic dico de omnium difficillima Exceptione, ad quam cum laude & quadam dignitatō magis arduum existimatur, quod ad eam relata scientia tanquam ad vastum aliquod pelagus.

Videant igitur bonarum literarum Aristobolus obscuritate & recondita quadam ratione artiu dia sint collocata: quā alto in gradu ac sublimi cōita quidem, ut summas propter difficultates, lacaput inter nubila condant. Verum insurrectione facta proclaimabunt, multos ea pradititate, ut sapè ipsis ad summam eruditōnem legendā contentionē pervenire liceat. Sanè qui nunquam fateamur: attamen cum Poēta etiā profamur: Pauci quos equus amavit Iuppiter.

B



the scale towards document